



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90117999

§. 2. Pacta inter Pontificem & Regem inita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66385)

Sæcul. XII. A.C. 1111. Episcopatus vel alterius cujuscunque Dignitatis Ecclesiasticæ dare, quod etiam in Conciliis definitum fuerat. Hæc igitur præcipua causa Henricum permoverat in Italiam proficisci, ubi dissidium inter Imperium & Sacerdotium, enorme Fidelium scandalum, tolleret. Ita de hac expeditione loquitur Robertus Torigniacensis, Abbas in monte S. Michaelis, illo ævo luce fruens, Continuator Cronici Sigeberti, monachi Gemblacensis, qui illud usque ad annum millesimum centesimum deduxerat, anno millesimo centesimo decimo tertio fatis functus.

Rob. a. 1111.
Id. Prol.
Id. an. 1113.

§. II.

Pacta inter Pontificem & Regem in Italia.

Henricus Rex, itinere per Longobardiam confecto, & capta Novaria, quæ urbs obsistere victori ausa fuerat, in Tusciam venit, ubi solemniter Ritu Festum Natalis Domini Florentiæ transegit. Inde Legatos Romam misit, cum Papæ Ministris de conditionibus deliberaturos, quibus Coronam Imperii acciperet. Cum igitur quinta Februarii anno millesimo centesimo undecimo ad vestibulum S. Petri in Ecclesia Dominæ Nostræ de Turri convenissent, de sequentibus capitibus consenserunt: *Imperator, datis literis, in manibus Pontificis, præsentibus Clericis*

ricis populoque, in die, qua coronabitur, Sæcul. XII,
 promittat, se nullam Ecclesiarum Investi- A.C. IIII.
 turam daturum esse. Et postquam Papa
 pari modo REGALIIS renunciaverit,
 jurabit Imperator, liberas fore Ecclesias,
 oblata, & ditiones, de quibus non satis
 constaret, an sub Dominio Regum fuerint,
 priusquam in Clericorum potestatem per-
 venissent. Populos a juramento contra
 Episcopos edito liberabit. Patrimonia
 & prædia S. Petri, juxta exemplum Ca-
 roli, Ludovici, Henrici, aliorumque Im-
 peratorum restituet, eaque omnibus viri-
 bus pro Ecclesia custodiet. Nec operam
 nec consilium conferet, quo Papa de Pon-
 tificatu dejiciatur, occidatur, mutiletur;
 non ipse Papam capiat, aut a suis capi ju-
 beat. Hujus promissi fides non solum ad
 Personam Papæ restringatur, sed etiam ad
 fideles Servos, qui cum Papa fidem Imperato-
 ri juraverint, videlicet ad Petrum Leonis,
 & liberos ejus, ceterosque, quos Imperato-
 ri indicaverit, extendatur. Si quis eos
 læserit, Imperator illatam injuriam bona
 fide ulciscatur. Imperator Pontifici obsi-
 des dabit Fridericum nepotem suum alios-
 que Principes (hi deinde, numero duode-
 cim, nominantur) fidem pro incolumita-
 te Papæ juramento præstabunt, & vades
 exhibebunt; nullatenus fore, ut stipulatæ
 conditiones violentur.

Quæ

Sæcul. XII. Quæ vero vicissim Summus Pontifex
 A.C. IIII. promisit, hujusmodi erant: *Si Rex, quæ*
 Act. ap. Ba- *juraverit, impleat, Papa Episcopis, in*
 ron. an. IIII. *die, qua Coronam accipiet, præsentibus,*
præcipiet, ut Regi relinquunt intacta
omnia ea, quæ Ludovici, Henrici, alio-
rumque Regum Antecessorum ejus, ætate,
Juris Cæsarei erant, & Decretum edet
addita anathematis pœna, ne quis Præsu-
lum sive præsentium sive absentium Rega-
lia, id est, Urbes, Ducatus, Marchiona-
tus, Comitatus, jus cudendi monetam, aut
vectigalia ex mundinis capiendi, prædia,
agros, quorum fructus prius in ævarium
Cæsaris collati fuissent, Arces, imperium
militum, invadat, aut in posterum de his
justam conquerendi causam Principi præ-
beat. ()* *Papa Regem honorifice recipiet,*
eum Antecessorum suorum more corona-
bit, ejusque Regnum omnibus viribus ful-
ciet. Petrus Leonis promisit, se in Re-
gis potestate permanfurum, si Papa fi-
dem falleret, & interim vades se datu-
rum

(*) Ex his iterum deprehendet Lector at-
 tentus, quando & qua via Episcopi in Germa-
 nia sensim Principatum Sæcularem obtinuerint.
 Imperatores vero ad Jura, quæ summam Maje-
 statem decent, strenue vindicanda præter De-
 creta Summorum Pontificum etiam arma & vali-
 dos exercitus adhibere potuissent, ac forte de-
 buissent.

rum filium suum Gratianum, ac filium alterius filii sui Hugonis, nepotem suum. Sæcul. XII.
A.C. IIII.
Hæc inter utramque partem Romæ quinta Februarii acta sunt.

Rex de his a Nunciis suis certior factus Sutrium venit, ubi die nona ejusdem mensis, præsentibus Papæ Legatis, juramentum, de quo convenerat, ea conditione edidit, ut etiam Papa sequente die Dominica, quæ promiserat, imple-ret. Decem quoque Principes & Albertus Cancellarius jurarunt, sic salvum & tutum fore Pontificem. Tot juramenta haud dubie prodebant, quantum sinistra suspiciones utrinque animos exagita-rent. Nec etiam abfuisse timoris causam eventus docet.

§. III.

Rex Pontificem in custodiam rapi-jubet.

Cum die undecima Februarii ad urbem Rex pervenisset, altera die, Domi-ca Quinquagesimæ, Papa in occursum venientis misit complures Curiaæ suæ Præ-
fectos, cum varii generis Vexillis, Cruces, Aquilas, Leones, Lupos, Dracones, exhibentibus. Chron. Caff.
IV. c. 37.
Procedentium pompam au-
gebant centum Sanctimonialia cum faci-
bus.